

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Johannis Trithemii Spanheimensis Primo, Deinde D. Iacobi  
Maioris Apvd Heripolin Abbatis, viri suo aeuo doctiss. ...  
Partis Opera Historica, Qvotqvot hactenus reperiri  
potuerunt, omnia**

Partim E Vetvstis Fvgientibusque editionibus reuocata, & ad fidem  
Archetyporum castigata; partim ex manuscriptis nunc primùm edita ;  
Qvorvm Catalogvm Aversa pagina exhibet

Iohannis Trithemii Spanheimensis Primo, Deinde D. Iacobi Maioris Apvd  
Heripolin Abbatis, viri suo æuo doctissimi Secvndæ Partis Chronica  
Insignia Dvo - I. Coenobii Hirsavgiensis, Diœcesis Spirensis: eius  
fundationem & progressum ab Anno Christi DCCCXXX. vsque ad Annum  
MCCCLXX. II. Coenobii ...

**Trithemius, Johannes**

**Francofurti, 1601**

LXXIX. Ioannes Tritem. Ab. Monasterii S. Iacobi Apostoli in suburbio  
ciuitatis Herip. Iacobo Tritemio chariss. fratri S.

**urn:nbn:de:0128-1-17336**

veraciter in vobis extiterit, veras Christi sponsas efficiet. Omnipotens Deus in suo vos ardere faciat amore, quem ut nobis reddatis placabilem orationibus vestris instauruisse regamus laborum nostrorum memores, quos pro utilitate vestra multis iam annis perutilis communi. Valete in Domino Iesu sine macula conuersantes. Ex Neometi 22. die mensis Septembris Anno Christiano 1506.

## LXXVIII.

IOANNES TRITEM. AB. SPAN. FRATRI IOANNI  
de Francordia Salutem.

**D**ILECTE frater, intendimus monasterium nostrum Spanheim ex certis & rationabilibus causis dimittere, ipsiusque Abbatiam, quam annis quatuor & viginti possedimus resignare: ne autem propterea cœnobium Christi sponsarum in Sebach aliquod incurret periculum, eius commissionem per episcopos Spirenses nobis factam ad humilem instantiam Abbatissæ & Conuentus diutius continuabimus, donec sibi conuenientiorem valeant inuenire visitatorem. Quocirca tuæ charitati committimus & mandamus, quatenus ea quæ concernunt officium tibi commissum exequaris & custodias omni diligentia & sollicitudine, quemadmodum audiuiti à nobis, cum præsentes in ipso monasterio nuper essemus. Vagos extra cœnobium intermitte discursus, & clau suram solus nunquam ingrediaris. Mandatis Abbatissæ obtempera, sciens te seruum Christi virginum non dominum. In ceteris ad præscriptam tibi normulam te studeas conformare. Vale, Ex Neometi 22. die mensis Septembris, Anno 1506.

## LXXIX.

IOANNES TRITEM. AB. MONASTERII S. IACOBI APO-  
stoli in suburbio ciuitatis Herbip. Iacobus Tritemio chariss.  
fratri S.

**P**ARVI desiderio tuo quantum mihi licuit dulcissime frater, & quarundam epistolarum mearum, quas scripsi à die exitus mei de Spanheim usque in præsentem diem, exemplaria quotquot remanserant in præsenti volumine comportauit. Nec enim omnium penes nos exemplaria retinuimus, propterea quod saepius festinare in scribendo cogebatur. Congessimus autem in hoc ipso volumine sexaginta sex epistolas nostras, & duodecim alienas ad nos missas coniunximus, quæ omnes cum ista quidem ad te simul faciunt nouem, & septuaginta, in quibus more nostro familiari nobis scribendi genere sumus vsi, non pro admiratione nostri sequentes eloquentiam, quæ in nobis nulla fuit inquam, sed scholastico sermone, quo facile intelligamur. Scis autem quod prima die mensis Aprilis monasterium meum exiui, nunquam illuc postea reuersus usque in hunc diem. Exiuius autem anno Christianorum millesimo quingentesimo quinto, prima vt diximus Aprilis: & hanc sancti Iacobi abbatiam suscepimus quintadecima die mensis Octobris anni sequentis. Omne igitur tempus inter exitum nostrum de Spanheim & introitum hue, mensis effluxerunt decem & octo diesque tredecim. Huius temporis fuerunt epistola præteres, quas tibi tradidimus suauissime frater, non ad eruditio nem tui, sed potius ad memoriam nostri. Illas vero quas prius scripsimus dimisimus in Spanheim, nec dum in ordinem coadunatas, quas si quando redegerimus in ordinem habere volueris, facile consequeris. Eas autem quas postea dedimus, aut in futurum scribemus alio comprehensas volumine tibi quoque suo tempore non subtrahemus. Vale ex monasterio nostro sancti Iacobi apostoli maioris in suburbio ciuitatis Herbipolis.

finis 28. die mensis Decembris Anno  
Christi 1506.

Finis Epistolarum Spanhemensium, Tritemii  
Abbatis.

IOAN-